



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Vniversis Tam Ecclesiasticis quàm secularibus Principibus Alamaniae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006



REGISTRVM
DOMINI
INNOCENTII III.
SVPER NEGOTIO
ROMANI IMPERII

ARCHIEPISCOPO MOGVNTINO, EPISCOPO
Sabinensi.

Epist. 1.



OLIDATA in devotione sedis ap-
tolicæ fides tua & in obsequiis pro-
bata tempore iuventutis non defi-
ciet &c. *ut supra lib. 11. epist. ccxciii.*

UNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS
quam secularibus Principibus Alamania.

Epist. 2.

Qvanta debeat esse concordia inter reg-
num & sacerdotium in se ipso Christus
ostendit &c. *ut supra lib. 11. epist. ccxciv.*

LITTERÆ REGIS OTTONIS AD
D. Papam.

Epist. 3.

Sandissimo in Christo Patri ac Domino spiritali In-
nocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pon-
tifici Otto divina faciente gratia Romanorum Rex &
semper Augustus salutem ac filialis devotionis affectum
cum debita reverentia. Navicula Petri quibusdam retro
temporibus persecutionum fluctibus est agitata, & nisi
Ecclesiæ Dei in petra Christo fundata fuisset & solidata,
jam pravotum persecutionibus inclinata funditus corruis-
set. In ipsa etenim persecutione progenitor noster Henri-
cus Dux Saxonie in fide sanctæ Romanæ Ecclesiæ indefi-
nenter perseverans, & voluntati atque iniquæ dominatio-
ni Frederici quondam Imperatoris nullatenus acquiescens,
matrem suam spiritualem, sanctam videlicet Romanam
Ecclesiæ, in omnibus est imitatus, ideoque prævalente
impiorum persecutione, honoris sui dignitate privatus,
exilio cum liberis & familiaribus suis adiectus fuit & ex-
positus. Volens igitur Dominus Ecclesiæ suæ statum in me-
lius reformare & fidem ac devotionem jamdicti patris no-
stri in suis posteris remunerare, sua ineffabili clementia
effecit quòd nos ab Oprimatibus & Principibus imperij,
ad quos de jure spectat electio, ad regni gubernacula ex
inopinato vocati sumus & electi, in sede quoque Augu-
storum apud Aquigranum locati, consecrationem & coro-
nationem à manu Adolphi Colonienfis Archiepiscopi, præ-

sentibus Principibus, ea qua decuit solemnitate cum ple-
nitudine regie dignitatis accepimus. Cupientes igitur
gressus nostros ab ipso dirigi per quem Reges regnant &
potentes scribunt iustitiam, dignum duximus ipsa electio-
nis nostre hora juramento firmare quòd possessiones &
jura Romanæ Ecclesiæ aliarumque Ecclesiarum imperij
firma & illibata servabimus, & quòd consuetudinem il-
lam detestabilem, qua Episcoporum, Abbatum, Princi-
pum de hac vita migrantium bona tempore mortis relicta
quidam nostri antecessores hætenus occupabant, omnino
in posterum dimittemus, & de beneficentia nostra Princi-
pibus ecclesiasticis in perpetuum relaxamos. Petimus ergo
& cum instantia paternitati vestre supplicamus quate-
nus fidem ac devotionem nostram considerantes, merita
quoque patris & avunculi nostri Regis Angliæ, qui nun-
quam ab obsequio Ecclesiæ Romanæ recesserunt, ad me-
moriam revocantes, injurias etiam Philippi Ducis Sue-
viæ quondam Ducis Thuringiæ & patris & fratris ejus non
dissimulantes, nos regiam dignitatem adeptos ad imperij
consecrationem vocare dignemini, illos insuper Episco-
pos & Abbates ac laicos Principes qui jam dictum Phi-
lippum Ducem Sueviæ in excommunicatione vestra de-
tentum in Regem nominare & fidelitatem ei jurare præ-
sumpserunt, ab observatione illiciti juramenti absolvatis,
& majestati vestre obedire ecclesiastica censura compel-
latis, & excommunicationem ipsius Ducis Sueviæ per
Theutoniæ & universos fines imperij publicè denuntiari
faciatis. Vestris quoque precibus, Pater sanctissime, altissi-
mum exoretis ut vias & actus nostros in pace & tran-
quillitate dirigat, & quòd iustitia, constantia, & veritas in
corde nostro vigeat, ut per ipsius auxilium, de vultu Do-
mini judicium nostrum prodeat, & promissum nostrum
perpetua & inviolabili firmitate ad honorem Dei & Ec-
clesiæ ipsius nobis adimplere & conservare concedat. Ad
hæc, paternitati vestre significamus quòd dilectos & fide-
les nostros Legatos, videlicet G. Principem nostrum Ab-
batem Indensem, B. Præpositum Bonnensem, H. sancti
Gertronis in Colonia Scholasticum, H. Priorem Vverdin-
nensem, & H. Aquilegensis gloriosissimi Regis Angliæ
avunculi nostri Capellanum, & fidelem nostrum M. de
5511 ij